

atque perfectam, sed iam quiddam insue-
 ti luminis habentem, ideóque nonnun-
 quam futura prævidentem. Hinc prone-
 nire, vt quidam in eo statu multa prædi-
 cerent, quæ & alios laterent, & eos ipsos
 hætenus latuissent, quin hoc ipsum, & ad
 furorem trahere nituntur, & ad somnia.
 Vnde enim furentes vaticinari solitos
 aiunt, nisi quia in eis animus solutus ac
 liber, stimulis suis impulsus, nullo cohi-
 bente & habenas corporeas spernit, &
 membrorum vincula transgreditur? vnde
 quoque multa consopitis apparere, quæ
 vigilantes lateant, nisi quia tum maxime
 videatur animus à corpore relaxari, se-
 que velut incustodito carcere licentius e-
 ducere, ad prævidendas res? vt non imme-
 ritò inter somnum & mortem quædam
 videatur esse cognatio. Hinc & à Philo-
 sophis, & à Poëtis somnus imago mortis
 dicitur: & à Virgilio consanguineus lethi
 sopor. Nos autem & de furore modò di-
 ximus, & de somniis mox dicemus. De
 hac autem diuinatione morientium quàm
 ue credibilis sit, diuinus Poëta viderit
 Homerus: apud quem Hector moriens,
 instantem obitum vaticinatur interfe-
 ctori suo. Viderit & Possidonius Philoso-

A. iiij.